



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harpii Theologi Ervditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

De vtilitate vnitiui amoris. Cap. XXXIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

magnitudine supremi cali: nihilominus ex huiusmodi similitudinibus potest homo concipere in corde obiectum quoddam, & desiderare tali modo vniri Deo, & praecipue in exercitacione amoris, cuius natura est optare de duobus vnum efficere. Appellatur autem exercitium istud vnitiui amoris, qui necessarius est ad ambulandum viam istam.

De vtilitate vnitiui amoris. Cap. XXXIV.

Nunc posset aliquis quaerere, quae vtilitas consistat in isto vnitiuo amore magis, quam in alio comuni pratico amore. Circa hoc scias, quod amoris huius actus, quod ad substantiam, oriri etiam posset ex natura & exercitacionibus, stans solus sine omni gratia extra statum salutis, sicut & omnis sensibilis & practicus amor potest: & in seipso tantum est Deo acceptus, quantum de essentiali illo charitatis amore (de quo postea audiemus) & de alijs virtutibus acquisiuit, & non amplius. Sed actio eius est vigorosior, & obsequium vtilius ad proficientem vitam, quam aliquod obsequium cuiuscunque alterius sensibilis aut practici amoris: quia adeo astuans est, vt mediante ad Deum conuersione, omnes tentationes per ipsum fegentur, sicut musca non audent appropinquare ollae calidae aut bullienti, sed superuolitant donec tepescat. Sic etiam repidi multum impugnantur, tentationibus peccatorum, sed non feruentes: nisi contingat ex speciali Dei permissione, ad probandos eos, quos diligit, & ad praeparandam eis maiorem coronam. Istud autem aliud amor, qui adeo astuans aut feruens non est, non potest efficere. Secundo, iste amor est tam velox, vt in momento penetret & relinquat omnem multipliciter & distractione cordis, cum se ad Deum conuertit, vbi alium amorem saepe diu & multum oportet laborare. Tertio, adeo est impetuosus aut stimulatius, quod praeter alijs multum vigorose impellit hominem ad totalem resignationem & mortificationem sui ipsius: & vbi alius amor mortificationem cum difficili sui ipsius victoria exercet, iste amor operatur cum desiderio & iucunditate. Similiter in profectu quarumcunque virtutum plus potest proficere in vna hebdomada, quam alius amor in anno. Quarto, tam audax est ad dilectum, hoc est, ad Deum, quod semper vnit hominem Deo sine medio: quod alius amor non facit, & propterea recipit multo plures occultas notitias a Deo, & illuminationes, & familiaritatem maiorem: quia subuehit spiritum nostrum multo sublimius in contemplatione, profundius in amore, atque in deuotione magis

Amoris
vnitiui
vis.

* Alias de
Deo.

magis continuè. Ipse ad eò eleuat animum, vt suspensus maneat supra omnem multiplicatam & sollicitudinem, supra omnem distractionem & inquietudinem, & supra omnem naturalem passionem, puta inordinatum amorem, odium, vanam spem & timorem, vanam læticiã & tristitiam, similiter supra omnem prosperitatem & aduersitatem, honorem & confusionem, & ita in omnibus, quæ accidere possunt, suspensus manet supra omnem inordinationem, voluntate totaliter vnitus & transfusus in beneplacitum Dei, licet modicam indispositionem sentire posset in inferiori homine, quæ tamen citò perit. Hic itaq; amor hominem citissimè, facillimè, & perfectissimè Deo vnit & assimilat, quâdo debite exercitatur: & ideo lætificat Deum & Sanctos eius, sicut in Psalterio scriptum est: *Fluminis, (hoc est, amoris) impetus lætificat ciuitatem Dei: sanctificauit tabernaculum suum altissimus, plenitudine scientiæ licet gratiarum.*

Mal. 45.

De altero pede contemplationis, quo anima graditur ad Deum: cogitationes quænam in memoria locum habeant.

Cap. XXXV.

NVnc procedendum ad præparandam alteram viam, seu alterum pedem contemplationis, id est, virtutem intellectuã. Hac præparatio perficitur, cum tres superiores potentia (quæ appellantur vires intellectuæ, vel etiam spiritus hominis) bene ordinatæ fuerint, quia secundum illas dicitur anima spiritus. Primò ergo oportet memoriã præparari, ita quòd in se non permittat hærere aut figi vllas cogitationes, quæ hominem deorsum trahere possunt, ad inferiores scilicet animæ vires, id est, vim concupiscibilem, irascibilem, aut inferiorem rationalem: hoc est, oportet, vt caueat sibi ab omni impressione cogitationum, quæ trahere possunt ad inordinatas affectiones, cuiuscunque infra Deum existentis, quantumcunque nobile, sanctum, aut vtile in se esse videatur: quia inordinatio affectionis illud pro tunc reddit inutile, imò nociuum. Similiter à cogitationibus, quæ trahere possunt ad iracundiam, inuidiam, amaritudinem, aut murmurationem, detractionem, & similia, quæ dulcedinem spiritus inficiunt: & etiam ab omnibus cogitationibus, in quibus ratio nimis occupatur, cum exterioribus rebus, licet in se malæ non sint. Sed semper seruari debet memoriã suã liberam, inoccupatam, & otiosã ab omni impressione imaginum & cogitationum quocunque modo

Memoria
qui præpara-
reuec.

Bbbb

inci-